

Secundo, quia gratus obligat sibi benefactorem, vel excitat saltem ad novum beneficium. Unde Eccles. I. dicitur: *Ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant.* Quo alludens S. Chrysost. hom. VIII. in epist. ad Colos. « Deus, inquit, exigit a nobis gratitudinem, non quod nostra celebratione opus habeat, sed ut quidquid est lucri, iterum ad nos redeat, et dignos nos faciamus majoribus subsidiis. » Ita legimus Josephum accepisse pretium frumenti a fratribus oblatum, sed illud iterum clam in saccos eorum reposuisse, quia cum esset ditissimus, eo non egebat, Gen. XLII.

IV. Quia nihil ea pulchrius, uti nihil ingratitude foedius, in quam necessario incidet, qui non fuerit gratus. Quid enim primo iniquius, quam destruere eum, cui inniteris? Fontem unde bibis? Unde hedera, ingratitude typus fuit veteribus, quod muros et sepulcra destruat, quibus nititur, Pier. in hierogl. l. LI. Sic enim ingrati aliqui eo deveniunt ut vivis et defunctis benefactoribus mala pro bonis reddant: quæ iniquitas tanta est, ut propterea aperuerit Deus os asinæ ad redarguendum Balaam, qui pro servitio asinæ verbera ei infligebat, Num. XXII. *Quid feci tibi?* inquit. *Cur percutis me? Ecce jam tertio? Nonne animal tuum sum, cui semper sedere consuevisti usque in præsentem diem? Dic quid simile unquam fecerim tibi?*

Deinde, ingratitude mœrore quodam afficit benefactorem, propter jacturam male collocati beneficii. Unde exoptulat Deus ipse cum talibus, Isa. I. *Filios enutrivit et exaltavit: ipsi autem spreverunt me: et in hodierno evangelio: Nonne decem mandati sunt, et novem ubi sunt?* Bene utique noverat Dominus, ubi essent. Sed interrogat in detestationem ingratitude. Sic olim Deus Adam: *Adam ubi es?* Neque hoc tantum sed indignari etiam facit alios. Exemplum refert Seneca, l. IV. de benefic. c. XXXVII. Etenim miles quidam Philippo Macedonum regi percarus ac strenuus, sed avarissimus, naufragio ejectus est in agrum cujusdam Macedonis; a quo gratis et humanissime susceptus est homo, alioqui ignotus, miser, peregrinus. Nam Macedo in villam suam eum transtulit, lectulo suo cecidit, affectum semianimemque recreavit, diebus triginta impensa sua curavit, refecit, viatico instruxit, subinde dicentem: *Gratiam tibi referam; videre mihi tantum imperatorem meum contingat.* Cum ergo discessit, narravit Philippo naufragium, auxilium tacuit, et protinus petit prædium hospitis sui; illius inquam ipsius, a quo tam benigne habitus erat: nec petiit solum sed impetravit. Tulit injuriam tacitus vir, sed

Philippo per epistolam suggessit, se eum esse qui naufragum illum militem hospitio accepisset. Quo intellecto ira exarsit rex et statim Pausaniæ mandavit, ut bona priori domino restitueret, cæterum improbissimi militis dorso stigma, hoc inscriberet: *Hic ingratus hospes est.*

Tertio, quia ingratus viri liberalis manus claudit et sibi et aliis. Cogitat enim vir beneficus: Quando ita res habet, ut meis beneficiis non nisi hostes et ingratos mihi parem, super-sedebo in posterum his officiis. Unde Ps. XXXIV. ait Dominus: *Retribuere mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ,* q. d. ingratitude sua fecerunt me sterilem, qui alioquin erga ipsos eram liberalissimus, et cum fœnore reddebam illis centuplum. Est enim ingratitude: *Quasi ventus exsiccans,* inquit S. Bern. serm. LI. in Cant. *et urens fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluentia gratiæ.* Nec mirum; nam per ingratitude nem gloria Dei, et bonitatis ac misericordiæ ejus, non solum non promovetur, sed etiam obscatur, non aliter ac sol, postquam e terra vapores sursum traxit et a quibus tamen lumen ejus potius impeditur. Unde Platonem dixisse ferunt, quatuor esse difficilia, quintum omnino impossibile. Primum, servire superbo: secundum, petere ab avaro: tertium, negotiari cum mendace: quartum, tractare cum ignorante: quintum (omnino impossibile), benefacere ingrato.

Quarto, quia ingratitude Deum tandem usque eo movet, ut ingratos omnino abiciat uti fecit Hebræis, quos ob ingratitude nem prorsus abjecit, quia post tot beneficia non retribuere nisi sterilitatem, ut ex Psalm. XXXIV. audivimus; imo mala pro bonis: *Retribuere mihi mala pro bonis: sterilitatem animæ meæ.* In quem locum S. August. ait: « Ego attuli fœcunditatem, ipsi retribuere sterilitatem; ego vitam, ipsi mortem; ego honorem, ipsi contumelias; ego medicinam, ipsi vulnera, et in his omnibus quæ retribuere, utique steriles erant. Hanc sterilitatem in arbore maledixit, ubi fructum cum quaereret, non invenit, etc. » Huc etiam pertinet parabola de vinea, Matth. XXI. et Isa. V. tot sumptibus extructa, quæ tamen pro uvibus fecit labruscas. Propterea subdidit Dominus: *Et nunc ostendam vobis, quod ego faciam vineæ meæ. Auferam sepem ejus, et erit in direptionem: diruam maceriam ejus, et erit in conculcationem. Et ponam eam desertam: non putabitur, et non fodietur, et ascendent super eam vepres et spinæ: et nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem.* Vult dicere Isaias in persona Dei: Nudabo populum meum lege et protectione mea: non reseabo,

nec compescam luxuriantem ejus malitiam: nec cor ejus tangam compunctione neque excolam, sed sinam vepribus et spinis peccatorum oppleri ac suffocari: vetabo doctoribus meis ne rigent eum imbre doctrinæ salutaris. Ergo aufert Deus beneficia et præsidia sua ab indignis, ut per supplicia Deum cognoscant, qui per beneficia cognoscere noluerunt. Quod si nec hoc pacto respiscant, tandem prorsus abjiciuntur quasi alieni; quemadmodum populus Judaicus ob suam ingratitude nem a Deo reprobatus, uti eis vaticinatus est per Oseam et nomen filii ejus; quem ideo appellari præcipit: *O ammi,* hoc est, *non populus meus,* Ose. I. Rationem subnit: *Quia vos non populus meus, et ego non ero vester.* Contra quia gentilis populus, qui longissime a Deo aberat, cœpit tandem divina in se agnoscere beneficia et apostolorum ad fidem invitantium voces exaudire, in electum Dei populum subrogatur; juxta id: *Vocabo non plebem meam, plebem meam: et non dilectam dilectam,* Rom. IX. et illud: *Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei,* I. Pet. II. Videmus ergo ut ingratitude suos cultores e Dei servorum albo expungat, gratitudo in eum conscribat.

CONCIO IV.

LEPRA PECCATI QUAM POLLUAT UNIVERSUM.

I. Polluit cœlum. — II. Polluit paradisum. — III. Polluit Ecclesiam. — IV. Polluit rempublicam. — V. Polluit genus humanum. — VI. Polluit terram. — VII. Polluit infernum.

THEMA.

Occurrerunt ei decem viri leprosi. Luc. XVII.

Quæsit aliquando S. Ludovicus Francorum rex ex Senescaleo Campaniæ, malletne lepra infici, an peccato? Respondit is: *Peccato.* At Ludovicus acriter eum objurgans: *Toto,* inquit, *cœlo erras. Ecquæ enim lepra peccato fœdior, quod etiam post mortem affligit? Tu itaque, si me amas, eam mente muta,* Joan. in ejus vita, c. XCIV. Quid nobis, auditores, videtur de hoc regis dicto? Ego sane sapientissimum existimo, idque facile et pluribus ostendi posset. Verum sufficiat in præsentis ore quod lepra corpus tantum inficiat, peccatum vero animam; deinde lepra microcosmum seu hominem polluit: peccatum vero macrocosmum seu universum. Vult in hoc videre? Advertite.

I. Peccatum polluit cœlum. Excitavit enim in cœlo prælium inter angelos bonos et malos,

adeoque perturbavit ibidem suavissimam angelorum harmoniam, imo infernum evocavit, et induxit in cœlum, eique potestatem dedit, veluti carnifici, detrahendi inde in tartarum reprobos angelos: Hos enim *rudentibus inferni,* id est, catenis tartareis robustissimis, detractos esse in tartarum cruciandos scribit S. Petrus, epist. II. c. II. Peccatum ergo cœlum prodidit inferno, ac diripiendum dedit, adeoque cœlum quasi in infernum, angelos in demones mutavit: et hos e subtilissimis spiritibus adeo graves et ponderosos reddidit, ut deorsum ruendo cœlos perumperent, imo et solidam ipsam terram, tartarique ima peterent. Quo ex casu perturbatus fuit ordo cœlestium spirituum, et plurimæ in cœlo sedes vacuæ relictæ, velut si ex organo absolutissimo media pars fistularum exterminetur, ex quo concertus ejus et harmonia plurimum immutatur necesse est. Ad hæc quia cœlum peccatis angelorum et hominum quodammodo pollutum fuit, Deus illud clausit, quomodo templum pollutum clauditur, donec reconcilietur ab episcopo; clausit inquam hominibus donec Christus pontifex noster id expiaret suo sanguine, et nobis reseraret. In cujus rei figuram summus olim pontifex sanguine victimarum expiare jubebatur ipsum Sanctum sanctorum, Levit. XVI. Significat enim id cœlum ipsum peccatis contaminatum, a Christo expiandum fuisse, ut docet ibi Radulphus.

II. Polluit paradisum, quem ex horto voluptatis fecit desertum, adeoque execrabilem, ut hominibus inde pulsus Deus illum deseruerit vel castrum vastatum, hominibusque interdixerit, denique per diluvium omnino dissipavit, ut plerique censent, et satis indicat Moyses, Gen. VII. cum ait, aquas diluvii prevaluisse nimis (ut videlicet omnes domos et urbes everterent, omnes agros et hortos vastarent, omnes arbores eradicarent, omnia sata et germina solo sternere) et operuisse omnes montes excelsos sub universo cœlo, totamque terram anno integro occupasse. Quibus accedit, quod nusquam inveni jam paradisus possit, et terra circa Euphratem et Tigrim aliaque flumina e paradiso derivata, adeoque illa ubi paradisus fuisse existimatur ad Apameam Babylonæ seu Chaldææ undique cognita et habitata sit. Hujus autem stragis et indieti paradisi unica causa peccatum est. Erat paradisus locus deliciarum omnium amenissimus, temperatissimus, redundantissimus omnis generis frugum: « Erant ibi, ait S. Basilius, l. de paradiso, omnia avicularum genera, quæ pulchritudine colorum et naturali musica ac dulcedine concertus incredibiliter

oblectabant hominem. Erant illic variarum etiam animalium spectacula; sed erant omnia mansueta, obedientia homini, inter se concorditer et pacifice viventia, etc. » Peccatum vero æternis repagulis oclusit homini locum illum, subtraxit ei imperium in subdita alioquin animalia, necnon delectationem et fructum maxima ex parte, quem ex illis habere poterat: ipsa inter se animalia hostiliter divisit, et mutuis odiis accendit. Hæcne tibi clades maxima non est?

III. Polluit Ecclesiam dum ejus membra inficit et enecat; adeoque ad tempus saltem inutilia reddit. Etenim, ut apostolus ait, I. Cor. XII. *Nos unum corpus in Christo*. Hujus corporis oculi sunt prælati, os concionatores, humeri principes, brachia nobiles, manus divites, pectus sacerdotes, venter pauperes, pedes plebs et rustici aliique operarii. Ego ubi horum unum graviter peccat, mox læditur Ecclesia, et tanto quidem gravius, quanto nobilius est membrum. Unde enim inter nos perpetuæ lites et querelæ unius de altero, nisi quia multi non faciunt officium suum, adeoque suis peccatis lædunt et affligunt proximos?

Præcipue vero per hæresin gravissime vulneratur, imo membris suis omnino truncatur, uti videre est vel una in Europa, quæ effigiata in tabula geographica speciem habet reginæ sedentis, coronatæ et vestitæ: cujus caput est Hispania, pectus Gallia, brachium dextrum Italia cum Sicilia, sinistrum Anglia cum Scotia et Hibernia, venter Germania, umbilicus Bohemia, dextrum crus Hungaria, sinistrum Polonia, pectus dexter Græcia, sinister Moscovia; vestis talaris versus septentrionem defluens, Dania, Suecia, Norvegia et adjacentes regiones. Jam vero quantas strages ediderit in hoc corpore hæresis Lutherana et Calviniana, quis nescit? Sola siquidem Hispania et Italia incolumis perstitit: reliqua omnia membra vel præcisa vel vulnerata sunt. A Calvino vulneratum pectus et venter, præcisum brachium sinistrum. A Luthero vulneratum venter et umbilicus, læsum ex parte utrumque crus cum vestibus ad septentrionem protensis, crus dextrum maxima ex parte, una cum pede toto præcisum est a Turca. Et quis gladium hæresum et Turcismi exacuit in hanc regionem, nisi peccata nostra seu majorum nostrorum perversi mores, vitæque licentia? Nisi enim sub illarum hæresum exortu fuisset clericorum disciplina solutior doctorum vel raritas vel segnitia major, omnium vita corruptior, nunquam tantum malorum sensisset ætas nostra. Quemadmodum enim e corporum vestiumque pædore ac illuvie pediculi: sic e catho-

licorum vitis et sordibus hæreses nascuntur.

IV. Polluit rempublicam, et implet innumeris cladibus, quæ tangit etiam innocentes reprobis admixtos. Sic Hier. III. arguitur synagoga, quod sua idololatria causarit clades publicas: *Polluisti, inquit, terram in fornicationibus tuis et malitiis tuis: quamobrem prohibita sunt stillæ pluviarum, et serotinus imber non fuit, q. d. sceleribus tuis cælum tibi clausisti: publica enim peccata dum non puniuntur, terram et rempublicam contaminant, et communes clades accersunt, quia in publico peccato publice ab omnibus peccari censetur, dum alii ferunt, alii dissimulant, alii reticent, alii approbant, alii excusant, alii defendunt, alii imitantur, alii inde quæstum habent, etc.*

Deinde, ob peccata, regna et respublicæ evertuntur et transferuntur. Regnum Chaldæorum seu Babyloniorum sacrilegium Balthasaris tradidit Persis; Persarum regnum luxus, fastus et superbia evertit, tradiditque Græcis; Græcorum regnum gula et ebrietas perdidit, transtulitque ad Romanos. Judæorum ditionem, regnum et sacerdotium prostravit et dissipavit scelus admissum in Christum Dominum. Denique, nostro sæculo vidimus per bella, regna, ducatus et ditiones partim vastatas, partim translatas, ejectos illarum dominos. Quas Germaniæ mutationes et clades portendit ante paucos annos præcedens cometa, minitans has clades velut flammeus gladius. Ut merito de illo dicere possemus, quod Ezech. XXI. legimus: *Gladius, gladius exacutus est et limatus est. Ut cædat victimas, exacutus est: ut splendat limatus est*. Sed unde prodiit, ubi fabricatus est hic gladius? Sequitur paulo post: *Hic factus est in populo meo, q. d. ipsemet suis sceleribus fabricati sunt hunc gladium, quo crudeliter necarentur*. Ita Græci, Afri, Syri, et Ægypti suis peccatis, hæresibus, et contumacia in sedem apostolicam gladium Turcis fabricarunt et tradiderunt, quo ab ipsis excinderentur. Iisdem nos superioribus annis præbuitur acinacem, quo nos et nostra demeterent, ad fines denique nostros proxime adserperent. Poteramus vere dicere cum Isa. c. LXIV. *Allisisti nos (vel ut alii legunt, liquefecisti nos) in manu iniquitatis nostræ*. Hoc enim nostris non semel contigit, cum stare ante Turcas non magis potuerant, quam butyrum ante solem. Nimirum iniquitates nostræ corda Germanorum, solida alioquin et imperterrita, liquescere fecerunt: *Hic est gladius quem ipse fecisti, dicebat miles quidam Mario (cui olim in fabrilis officina laboranti miles ille operam navarat) cum eum adoreretur, apud Trebell. Poll.*

V. Polluit genus humanum et quidem multi-

pliciter. Primo, destruit in homine gratiam, charitatem, et virtutes supernaturales, solam fidem et spem ei relinquit, sed informes et mortuas, velut muros subruta domo. Per consequens privat hominem Spiritu sancto inhabitante et jure cælestis hæreditatis. Quanta hæc damnorum moles? Hinc ingens eo momento fit mutatio in anima; extinguitur enim subito vita ejus cælestis et pulchritudo supernaturalis, qua angelis sanctis et Deo similis erat; et fit homo ex Dei templo spelunca latronum, ex aula regis stabulum peccatorum, ex filio Dei hostis, ex cæli hærede reus gehennæ: tametsi hanc in semutationem homo minime advertit. Ut enim fulmen in gladium incidens, vagina illæsa gladium in ea conterit: sic peccatum vastat animæ bona interna, licet foris omnia sarta tecta videantur.

Secundo, destruit et vastat omnia ejus opera bona, eorumque merita, quæ ipse apud Deum instar magni thesauri habebat. Hæc enim omnia fiunt inefficacia et mortua, licet plurima sint et maxima. Testatur hoc Dominus, Ezech. XVIII. *Si averterit se justus a justitia sua, inquit, et fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus quas fecerat, non recordabuntur*. Unde quod egit mater illa improvida, III. Reg. III. quæ dormiens oppressit filium suum: hoc agit stultus peccator. Opera enim sua quotquot illa sunt, quæ maximis laboribus sibi peperit, cum obdormisset in peccato mortali, simul omnia opprimit.

Tertio, pacem conscientiæ exturbat et introducit vermem corrodentem ac lacerantem. Hinc illa vox Lamechi: *Occidi virum in vulnus meum, et adolescentulum in livorem meum*, Gen. IV. quia nimirum dum alium occidit, ipse sibi vulnus infixit, dirum et purulentum.

Quarto, hominem mutat in bestiam, dum de statu rationis eum ad bestiales affectiones abjicit, quod testatur David, Ps. XLVIII. *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis*. Pulchre offendit Boetius, I. III. de consol. prosa III. « Quem, inquit, transformatum vitis vides, hominem æstimare non potes, sed fuisse hominem adhuc ipsa humana corporis relicta species ostentat. Avaritia fervet alienarum opum violentus ereptor? Similem lupi dixeris. Ferox atque inquietus lingua litigii exercet? Cani comparabis. Insidiator occultus surripuisse fraudibus gaudet? Vulpeculis exæquetur. Iræ intemperans fremit? Leonis animus gestare credatur. Pavidus ac fugax non metuenda formidat? Cervi similis habeatur. Segnis ac stupidus torpet? Asinum vivit. Levis atque inconstans studia

permutat? Nihil ab avibus differt. Fœdis immunisque libidinibus immergitur? Sordide suis voluptate definetur. Ita homo probitate deserta vertitur in belluam. » Sic ille.

Denique, præcipitat hominem in omnia mala temporalia et æterna, spoliaturque bonis omnibus.

VI. Polluit terram, et quæ in ea sunt, ratione, sensu, vita carentia, tum quia sua cohabitatione infamiam, eis aspergit, quam ob causam ab apostolo, ad Galat. I. præsens sæculum vocatur *sæculum nequam*. Sic enim: *Infamantur et saltus*, inquit S. Hieron. *cum atrocitatis pleni sunt; non quod terra peccet et silvæ, sed quod infamiam homicidii loca quoque traxerint*. Locus enim inter Jerusalem et Jericho situs, appellatus est *Adomim*, id est, locus sanguinum, ob frequentia atrocitatis, teste Hieron. in epitaph. Paulæ. Propter idololatriam, quam in montibus et vallibus Judæi exercebant, increpat Deus montes et valles, Ezech. VI. *Hæc dicit Dominus montibus, et collibus, et rupibus, et vallibus: Ecce ego inducam super vos gladium et disperdam excelsa vestra*. Tum quia cogit ea quodammodo sibi servire ad injuriam creatoris eorum. Ob quam causam affligitur et torquetur, ut ita dicam, terra omniaque elementa, dum peccatorem sustinent: sicut qui erudum vel noxium aliquid comedit, nauseam concipit et vomitum provocat. Sic enim monet Deus Hebræos, ut caveant sibi a sceleribus, quibus Chananæi polluti erant, terram suam polluerant, ideoque ab ea evomiti erant, Levit. XVIII. *Cavete, ne et vos, inquit, similiter evomat (terra Chanaan) cum patria feceritis, sicut evomit gentem quæ fuit ante vos*. Quando vero terra evomere nequit improbos, punitur sæpe cum illis: quemadmodum contigit in diluvio, ubi innoxie creaturæ exterminari propter hominem, aut saltem pati debuerunt. Quid Pentapolis peccavit, et tota circumregio, quæ prius erat sicut *paradisus Domini* (Gen. XIII.) ut mutaretur pene in infernum? « Scribit enim patriarcha Hierosolymitanus (inquit Boreardus, in descriptione terræ s.) qui sæpe locum illum invisit, mare illud (mortuum scilicet, ubi prius Sodoma erat) semper fumum reddere, et nebulam in modum camini infernalis; unde tota illa vallis, quæ aliquando ob sui fecunditatem et amœnitatem illustris dicta fuit, ad spatium dimidiæ dietæ sterilis et inutilis reddita est, ita ut nec ullum germen proferat fere per spatium quinque leucarum, etc. » subditque: « In quo districtum Dei judicium nobis ob oculos ponitur, quod tam severe grandia illa Sodomorum peccata usque in hodiernum non desinit punire. Nec nisi visa hic

scribo. » Hæc ille. Cui assentitur Psalm. CVI. ubi dicitur : *Convertit fructiferam in salsuginem, a malitia inhabitantium in ea*, id est, propter malitiam.

VII. Denique, polluit etiam aliquo modo infernum : infernus enim ex natura sua et prima origine non est nisi pars et centrum terræ. Ubi vero angeli peccarunt, centrum illud Dei operatione excavatum et formatum est in carcerem, equuleum seu ergastulum igne et sulphure plenum. Peccatum igitur infernum fecit.

Deinde, peccata sunt folles et fomenta gehennæ ignem accendentia et alentia. Cum enim infinitam malitiam habeant, nulla creata vi superari aut extingui possunt ; inde ignem illum perpetuo nutriunt : *Impietas malum est infinitum, quod semel accensum, nunquam extingui potest*, ait Philo. Quoties igitur peccas, toties huic igni fomenta subministras. Audi Isa. c. E. *Ecce*, inquit, *vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulante in lumine ignis vestri et in flammis, quas succendistis*. Consonat huic loco, quod scribit Beda, l. III. hist. c. XIX. de visione Fursæi, qui videns ignem sibi appropinquantem, clamavit ad angelum ductorem : *Domine, ecce ignis mihi appropinquat : cui angelus : Quod non accendisti, non urit te*. Igitur qui peccant, accendunt ignem illum, et provocant in se, foveantque in æternum. Hæcine vero non est polluere infernum : incendio vastare ?

Denique, peccata ita diviserunt infernum ab universo, et quodammodo absciderunt, ut nulla ratione succurri damnatis queat, nec Deus oculo misericordiæ suæ eo pertingere. Hoc est quod pater Abraham epuloni, mendicanti ex inferno unicam aquæ guttam, respondit : « Et in his omnibus inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare : » ubi pro chaos Græce habetur *chasma*, hoc est, hiatus, scissura seu vorago. Nunc vero quis hanc tam irreparabilem scissuram fecit ? Quis immensum illum hiatus inter beatos et damnatos aperuit, ut non possint, licet vellent, illi ad hos transire opemque eis ferre ? Respondet Isaias, cap. LIX. *Iniquitates vestrae diviserunt inter vos, et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis ne exaudiret*. O malum detestabile, quod tantum chaos firmare, et Deo ac sanctis omnibus ita obfirmare potest ut nullum eis aditum præbeat, nullum foramen aperiat, per quod oculus misericordiæ vel saltem commiserationis miseris impertire possint ! Bene igitur S. Augustinus dixit in sententiis, sent. CLIX. « Unum est summum bonum, aliud autem summum

malum : hoc est peccatum, illud Deus. Illud propter quod appetenda sunt bona cætera, ipsum autem propter seipsum : hoc propter quod destinanda sunt mala cætera, ipsum autem propter seipsum. »

Vidistis, auditores, qualis lepra sit peccatum, et quantum corpus polluat a capite ad calcem. Huc ergo respexisse videtur Moyses, cum Deut. XXIV. præcepit : *Observa diligenter, ne incurras plagam lepræ*. Quid hoc est præcipere ? Numquid in hominis est potestate, vitare plagam lepræ ? Peccatum vitari vult, quod meretur plagam lepræ, quodque ipsum lepra est omnium perniciosissima et meretur separari extra castra, hoc est, excludi a Deo et sanctis omnibus immenso et insuperabili hiatus. Diligenter igitur observa, quisquis es o homo, et omnem adhibe conatam, ne lepram hanc incurras.

CONCIO V.

QUORUMNAM CONSORTIUM, VELUT LEPROSORUM, MAXIME FUGIENDUM SIT, ET QUIDEM EX PRÆSCRIPTO SS. CANONUM.

I. Judæorum. — II. Magorum, venificorum, divinatorum. — III. Hæreticorum.

THEMA.

Occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe. Luc. XVII.

Cur a longe steterint hi leprosi, in promptu causa est, quia nimirum Lev. XIII. præcipit Deus, ut leprosi habitent extra hominum societatem, eam potissimum ob causam, ne alios inficiant. Quod quidem semper est observatum diligenter etiam ad nostra usque tempora. Hocque intelligentes leprosi hodierni, non fuerunt ausi Christo appropinquare, sed steterunt a longe, cum sanitate petierunt. Quod si leprosi non sunt tolerandi in hominum consortio, quanto minus nefarii homines, qui contagio peccati alios inficiunt ? Atque utinam leprosi isti saltem ab hominibus se removerent, et a longe starent, adeoque soli essent mali. Sed quod maxime dolendum, impudentissime aliis se associant, ut lepra sua eos contaminent, quales circa nos non pauci. Videat itaque, qui bonus est, quomodo illos fugiat : et si illi a longe stare nolunt, stet ipse longe ab eis, et quidem tanto longius, quanto gravior est animæ lepra, lepra corporis. Unde ad finem Apocalypsis S. Joannes clamat : *Foris canes et venefici, et impudici, et homicidæ, etc. nec non* Eccl. c. VII. *Discede ab iniquo*. Verum ut

sciamus, quinam sint nobis fugiendi, dicendum est, quinam maxime sint leprosi et contagiosi peccatores.

I. Vitandi sunt Judæi, triplicem præsertim ob causam. Primo, quia interfectores Christi fuere, eumque quasi leprosum habuerunt, Isa. LIII. *Nos putavimus eum quasi leprosum*. Hinc enim eorum patriarcha Jacob abominatus est filios suos Simeon et Levi (Gen. XLIX.) cum in spiritu prævidisset Messiam ab eis occidendum : « Simeon et Levi, inquit, vasa iniquitatis bellantia : in consilium eorum non veniat anima mea, et in cœtum illorum non sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum : » Christus videlicet, ut exponit S. Ambrosius. Origenes et alii, quem occidere præcipue Scribæ de tribu Simeon, et sacerdotes de tribu Levi. Hanc causam præterdit S. Ambrosius eaque convicit Theodosium imperatorem, qui concesserat Judæis ædificare synagogam Mediolani, palam in foro eum reprehendens et confundens quod scilicet in urbe, in qua Christus colitur, et crux adoratur, synagogam Christi interfectores extruere concessisset. Ut patet lib. V. epist. XXIX. ad Theodosium. Neque refert, quod isti ipsi Christum non occiderint, qui nunc degunt ; retinent enim idem in Christum odium, et quotidie adhuc lingua eum blasphemiam crucifigunt velut nequitiae hæredes, et malorum corvorum pessima ova, ut mox dicam. Sane Judæis post Christi necem (utique in penam sceleris) naturalis et peculiaris inest fetor ; unde Ammianus Marcellin. lib. II. vocat *foetentes* Judæos, additque eos idcirco Marco imperatori gravi fuisse fastidio : et Martialis, l. IV. epigram. ad Bassam : *Oles*, inquit *o Bassa, quod jejunia Sabbatariorum, id est, Judæorum*. Jure ergo ut foetentes hirci undique expelluntur.

Secundo, quia ipsi sacra nostra, et nos cane pejus et angue oderunt atque abominantur. Salvatoris nostri nomen præ odio nunquam nominant, et si forte illud casu legere vel sonare contingat, seipsum mulcant, et colaphum ori impingunt : aut si id expriment, dicunt *liscu*, exponendo id per litteras initiales *immach, schemno, uzichro*, id est, deleatur nomen ejus, et memoria ejus. Refert Cornelius a Lapide, in cap. XXIII. Exodi. Eundem dicunt condemnatum esse in infernum, occisum ob scelera sua, etc. B. vero *Viginem, cujus puritati nulla creatura, secundum Ambrosium etiam angelica comparari potest*, ore coquinato, meretricem vocare non verentur : de sancta cruce orant : « Sint maledicti, qui adorant lignum marcidum, et Dei cultum tribuunt suspenso : » de Christi discipulis et sectatoribus orant : « Omnes hæretici, id est,

discipuli Nazareni subito pereant. » Quotidie ter in die in suis synagogis Romani imperii, potissimumque Ecclesiæ Christi eversionem impiis vocibus a Deo efflagitant. In f. Mardochæi deferunt ollas ad synagogam et conterunt, dicentes : *Sicut contritus fuit Aman, sic regnum Christianorum subito conteratur*. Quando transeunt ecclesiam Christianorum, dicunt : *Domus superbiorum, prosternat te Deus* : quando per cœmeterium : *Erit verecundia et repudiata mater vestra quæ nos peperit, quia finis Christianorum vermis est*. Quæ ex libro eorum, Mazor dicto, refert Bernardinus de Busto, in consilio suo de Judæis, apud Maiol. tom. III. canic. coll. I. Taceo quod licitum sibi putant quocumque modo perdere Christianos. Unde quidam eorum magnus rabbi dicit : *Optimus, qui inter gentes, est, dignus est, ut illi caput conteratur, velut serpenti*, Corn. in Levit. cap. V. Denique, magister Hieronymus a sancta fide cognominatus ex Judaismo conversus et Benedicti XIII. pont. medicus refert in tract. quem edidit, de Thalmud libri falsitate, c. V. et VI. lege cautum esse in Thalmud, ut Hebræi quibuscumque malis et incommodis potuerint, omnes Christianos afficiant, in fraudem impellant, fortunis evertant, oblatæque opportuna occasione trucidant. Sane hoc eorum odium non est privatum : odium Dei est, religionis est, omnium Christianorum est, ac proinde pejori odio dignum. Quis enim non odisse potest eos, qui Servatorem nostrum nosque omnes adeo oderunt ?

Denique, quia pestis et pernicies sunt Christianorum, quos usuris iniquissimis exhauriunt et fraudibus innumeris circumveniunt, ita ut Judæos inter Christianos tolerare, non sit aliud quam serpentem in gremio alere, vellucios in piscinam mittere, qui reliquos pisces devorent. Ac primo, quidem, vulpinam induunt pellem, christiano alicui diviti commercia suadent, pecunias credunt postmodum cum eum vident nummos expendisse, lupinam induunt, stricte pecunias exigunt, quo majori cum fenore eos cogant moram emere, vel plures nummos mutuo sumere. Demum crocodili pellem assumunt cogendo creditorem, ut res suas vel ei oppignoret vel levi pretio vendat, sicque eum omnino devorant : et hanc technam statim progeniem suam docent, sicut et crocodili proles suas artem rapiendi. Ad extremum nullo se juramento teneri putant, nisi jurent manu imposita super librum legis suæ. Idcirco olim Norimbergenses et aliæ resp. non admittebant eos ad juramentum, nisi jurarent supra librum legis suæ. Ad hæc in die expiationis a rabbinis suis absolvuntur ab omnibus juramentis, Quomodo igitur eos non vitemus ut